

2679

C O D I C E S

2680

DCCXXVI.

285 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 166. f. per duas columnas exaratus complectitur I. *Sermones de Sanctis* per annum, incipiendo a vigilia Nativitatis Domini usque ad festum Thomae Apostoli. Sermo primus inscribitur: *de uigilia domini*, et incipit: *Prepara te in occursum domini dei tui ierusalem. Amos IIII^o. Dominus noster ihesus christus secundum ecclesie representationem ad nos est venturus &c.* Ad calcem legitur: *Explicit per manus Henrici de s. loco*, quo nomine venit *Heiligenstatt*, pagus *Viennae* aditus, cujus sacram curam jam scripti Codicis aevo Canonici Regulares *Claustroneoburgenses* gessere. Quis vero Sermonum Autor sit, in tanta obsoletarum ejusmodi mercium farragine difficile est dispicere.

II. fol. 97. Sequitur *Sermonum* cursus alter eadem manu exaratus a Festo Andreae Apostoli ad Festum OO. SS. pertingens. Initium primi in illud: *Ambulans ihesus iuxta mare &c.* est: *In verbis istis describitur vocatio duorum apostolorum facta a christo &c.* In fine adjectum est: *Explicit contractus de sanctis — Anno ab incarnatione domini M^o. C^oC^o. LXXVII. finitus est iste liber in die sancti virgilij episcopi kal. Decembris. Explicit vere tu nos katarina tuere.* Non hic agi de Sermonibus *contractis* seu in compendium redactis praestant *Simlerus*, *Possevinus*, *Waddingus*, *Foppens*,

qui nobis *Johannem Contractum* Belgam O. M. autorem sistunt circa an. 1373. Et re ipsa extat Sermonum ejus editio facta *Coloniae* a *Johanne Koelhoff Lubecensi* Sec. XV. f. a. f. cujus uberiolem notitiam debemus eruditissimo *Freytagio Adparat. lit. T. II. p. 1092.* Addit vir adcuratus, Exemplari, quod Bibliotheca *Portensis* servat, manu adscriptum: in lucem prodivisse circa 1479. et patrium Autoris nomen *Kortz* (*Kort*) fuisse.

Ultima *Cod.* folia *Sermones* III. et *Casus Papales* occupant, quos indicasse fat est.

DCCXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 179. f. difficili calamo per duas columnas exaratus maximam partem *Sermones sacros in Festa Domini, B. V. et SS.* tum de aliis materiis *moralibus*, et praeterea alia quaedam complectitur, quae ordine edifferemus. Inscriptio miniata sic habet: *Incipiunt aliqui sermones de diuersis festis boni. Parisius recollecti Et primo sermo bonus. De Annunciatione Domini. et procedit per exempla naturalia et moralia.*

II. fol. 19. habetur *Pro synodo clericorum sermo magistralis* in illud *Isaiae c. 61. Vos Sacerdotes Domini vocabimini &c.*

III. fol. 21. *Sermo magistralis de LXX^a. editus Parisius* in illud *Matth. 20. Quid hic statis tota die &c.*

IV.

2681

H O M I L E T I C I

2682

IV. fol. 23. *Incipit lectura magistralis et bona in Pater noster Parisius lecta et edita.* Non pertingit ultra: *Adveniat regnum tuum.*

V. fol. 40. *Collatio bona facta Parisius ad clerum de beato Johanne Baptista in illud Isaiae c. 49. Dedi te in lucem gentium.*

VI. fol. 41. *Collatio bona de conceptione virginis facta Parisius in illud Pf. 45. Fluminis impetus laetificat &c.*

VII. fol. 42. p. 2. *Sermo bonus francisci de roma in illud ad Philipp. c. 4. Sic state in Domino karissimi &c. Francisci hujus de Roma et Jacobi de Padua, cujus est Sermo sequens de S. Francisco, nec C. Egass. Bulaeus in Hist. Univ. Paris. nec J. Launojus in Acad. Paris. illustr. meminere, et tamen ad calcem legitur: Explicit sermo de sancto francisco. factus in conventu fratrum minorum parisius Anno domini M^o. CCC^o. XLV^o. per Jacobum de padua in arcium Medicine ac theologie facultatibus professorem paris.*

VIII. fol. 90. *Sermo magistralis et bonus de omnibus sanctis.* Ad calcem dicitur dictus ab eodem Jacobo de Padua 1344. in Conventu Minorum Parisiis, ut adeo vir hic de O. M. fuisse videri queat, licet nec in *Waddingi Scriptoribus* eum inveniam.

IX. fol. 102. sequitur *Sermo* ejusdem *de Sancto Stephano*, sed dictus 1344. ibidem in *Conventu fratrum Predicatorum.*

X. fol. 112. *Brevis Differtatio de generatione Apum. Utrum Denis Codd. Theol. V. I. P. III.*

scilicet fiant per propagationem vel per putrefactionem.

XI. fol. 113. *Apparatus domini Johannis Andree super materia consanguinitatis et affinitatis.* Incipit: *Circa lecturam arboris &c.* et multoties sub ipsa typographiae initia c. figg. ligno incisis excusus est, ut norunt librorum curiosi.

XII. fol. 116. et 124. *Sermo-nes de S. Johanne Bapt. et de S. Bernardo* rursus tribuuntur *Jacobo de Padua*, habiti 1348. hic in *Coenobio S. Bernardi*, ille in *Conventu Minorum.*

XIII. fol. 151. p. 2. *Incipit epistola beati eusebij ad damasium portuensem episcopum. et ad theodonium (Theodosium) romanorum senatorem. de morte gloriosissimi confessoris Jeronimi doctoris eximij.* Epistola haec commentitia cum aliis duobus ejusdem fuffuris opusculis, scilicet *Augustini ad Cyrillum Hierosol. de Magnificentis Hieronymi*, et *Cyrilli ad Augustinum de Miraculis Hieronymi* jam primis inventae Typographiae annis prelum occupavit, et recentissime habetur *Opp. Hieronymi edit. Vallarf. T. XI. Veronae 1742. col. 288. f.* Non esse *Eusebii Cremonensis*, amici *Hieronimi* post *Erasum* emunctiores Critici omnes contra *Tritheimium* sentiunt; sed neque *Oudinus* satisfacit T. II. col. 387. eam ipsi *Damaso Portuensi*, qui dein *Formosus* Papa fuit, adtribuendo. Foetus certe Sec. IX. junior est.

M

XIV.

2683

C O D I C E S

2684

XIV. fol. 167. Collectanea quaedam de Censuris ecclesiasticis.

XV. fol. 170. p. 2. Notabilia et Quaestiones circa materiam primi libri Ethicorum Aristotelis.

XVI. fol. 175. De sanctuarijs sacrosancte romane ecclesie. Incipit: *In nomine sancte et indiuidue trinitatis incipit scriptum de supremo sanctuario sancte dei romane ecclesie id est Laterensis compositum &c.* Adventus Apostolorum Petri et Pauli in urbem, Fabula de Balneo Constantini, ejus Conversio, et sacrarum aedium institutio. Descriptio ecclesiae Lateranensis, Reliquiae, Sepulcra Paparum. Descriptio aliarum ecclesiarum. Index titulorum Cardinalium, qui dividuntur in *Cardinales prime sedis, sancti Petri, sancti Pauli, sancte Marie maioris, sancti Laurentii* et *Cardinales dyacones*, universi numero LIII. Subjicitur Catalogus Abbatiarum et aliarum Ecclesiarum circa urbem hac clausula: *Explicit descriptio sanctuarij lateranensis ecclesie. quam copiauit Jacobus de padua. de antiquo libro Abbacie sancti amandi in picardia.* De Libri antiquitate ex eo statuet, quod Alexandri II. Pont. sepulchrum memoret, qui a. 1073. diem clausit.

XVII. fol. 177. p. 2. De VII. miraculis mundi. Trita illa. Ad calcem: *Expliciunt septem miracula mundi transcripta de libro Abbacie sancti Amandi.*

XVIII. fol. 178. Excerpta brevia ex C. Plinii Historia naturali. In folio Codici praetexto

olim legebatur: *Hunc librum testatus est pro collegio Ducali honorabilis et famosus sacre pagine professor Magister Petrus de Pulka, cui retributor omnium bonorum retribuat in eterna vita.* Itaque aut Vir hic, aut alius quidam Magistrorum Viennensium, dum Parisiis literis vacaret, Codicem natus fuerit.

DCCXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 175

XV. Folior. 610. f. currente calamo scriptus complectitur *Sermones CCXXXIII. de Festis Sanctorum cum propriis, tum in commune sine nomine auctoris; ut enim manus recentior in fronte adnotaverit esse Pauli de Nicolspurg, ex adferendis tamen partium clausulis patebit, librarium illum fuisse potius, quam autorem. Habet vero univrsam Opus partes tres, quarum I. sic minio inscripta est: In nomine domini Incipiunt sermones de sanctis Per circulum anni. Quorum primus est de Angelis In quo tractatur de officijs et de nominibus officiorum angelorum. Et quomodo per hec nomina angeli nos vivere docent in Ecclesia.* Sermo hic sic incipit: *Factum est prelium magnum in celo &c.* Habet dominus duplicem familiam sibi omnino dilectam &c. Desinit haec Pars fol. 277. in Sermonem CVII. hac clausula: *Finita est prima pars sermonum de sanctis in communi (potius priorum) per paulum de nicolspurga. Sequitur secunda pars tituli eiusdem videlicet incipiendo a vigi-*